

suos, ut dum extremæ ejus impietati in pervertenda clarissima Scripturæ Sacrae Litera Asylum querere conantur, infinitam Dei sapientiam, à quo mens humana recte ratiocinandi accepit principia, ludibrio exponere non vera ntur.

Conclamatum ergo de infinita Dei sanctitate est, si infinitæ Scientiæ & Sapientiæ defectu laborare Deus ita arguitur.

§. X. III. Quicunque decreto suo & actuali operatione ad peccandum physice & irresistibiliter determinat, ille non est sanctus.

Deus, stante absoluto Electionis decreto, ad peccandum decreto suo & actuali operatione physice & irresistibiliter determinat.

E. Deus, stante absoluto Electionis decreto, non est sanctus.

§. XI. Major est evidentissima.

Minor Probatur.

(1) Cum absoluto Electionis decreto indundo nexu coheret absolutum Reprobationis decretum. Unde quemadmodum Deus eos, quos eligit, decreto suo & actuali operatione ad fidem physice & irresistibiliter determinat, ut ad salutem ad quam eos absolute eligit, perveniant, sic eos, quos reprobatur, decreto suo & actuali operatione ad peccandum physice & irresistibiliter determinat, ut ad damnationem, ad quam eos absolute destinavit, pertingant.

§. XII. (2.) Decretum Electionis exinde à Röellio absolutum esse statuitur, quia omne Dei decretum, ut sic spectatum, à causa impulsiva externa absolutum est. Omne autem decretum Dei absolutum est determinativum. Ergo decretum Reprobationis determinativum est, adeoque & decreto, quo homines quosdam reprobatur Deus, & actuali operatione, qua decretum determinativum exequitur, eos, quos reprobatur, ad peccandum physice & irresistibiliter determinat.

§. XIII.